

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput VII. Continens Historiam, De Angelo Patefaciente Josepho Mysterium  
Conceptionis Christi, Matth. I.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

rulum Johannem pater Zacharias à primis an- nis imbuat, in qua ipsum Spiritu confortatum esse Lucas dicit. In circumcissione quidem, oratione ad infantem conversa, Zacharias hæc locutus est: sed & postea, cum puer crederet, illam ipsam doctrinam, & easdem voces sæpè fuisse à patre Zacharia ad puerum Johannem repetitas, nulum est dubium. Et ita id, quod quæritur de educatione & institutione Johannis, non ex conjecturis, sed ex ipsis verbis Zachariae pulcrè & cum fructu potest explicari. Fuit igitur schola Zachariae, in Levitico illo suburbano in montanis, celeberrima & optimè constituta. Thalmudistæ jactant ex traditionibus dicta quædam domus seu schola Eliæ, quæ tunc rectius & utilius observari possunt & debent dicta domus Zachariae, ex concione Gabrielis, ex colloquio Elisabetæ & Mariæ, & ex cantico Zachariae? Et multis hanc vocem doctrinæ, quæ publicè in schola Zachariae sonuit, profuisse, qui postea cupide amplexi sunt doctrinam Baptistæ & Christi, non est dubium.

Porrò, doctrina illa, quam, dissentientem à receptis traditionibus, Zacharias publicè cœpit profiteri, quomodo accepta fuerit à Phariseis & Pontificibus ex illis, quæ postea Johanni & Christo docentibus acciderunt, colligi potest. De exitu igitur Zachariae, licet nihil certi ex probatis historiis possit affirmari: à specie tamen veri non dissidet, quod alicubi annotatum est, ab Herodè interfectum esse, cum publicè vaticinaretur, Erectum esse cornu salutis in domo Davidis, unde futura esset liberatio de manu eorum, qui inimici essent populi Judaici. Quod Hero-

des contra suam dominationem dici interpretatus est.

Origenes, Basilius & Theophylactus dicunt, antiquam traditionem esse, Zachariam Baptistæ patrem, à sacerdotibus, in ipso templo, esse occisum: cum inciperet & ibi doctrinam illam, quam primò in privata sua schola traderat, spargere. Sed hæc verisimilia quidem, nec impia sanè, incerta tamen, relinquamus in medio. De hac ipsa enim traditione Hieronymus prudenter inquit: Quod de scripturis sacris non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quod judicium utinam, & ipse Hiero, & alii veteres, constanter retinuisent, de aliis etiam traditionibus.

De educatione igitur & institutione pueritiæ Baptistæ, ex his, de quibus diximus, fundamentis, quædam non inutiliter colligi possunt. Luca verba hæc sunt, [*Puer crescebat*] (ætate sc. & statura corporis) [*& confortabatur Spiritu,*] agnitione scilicet spirituali, vitæ pietate, rara indole & peculiaribus donis. Quia enim Gabriel prædixerat fore, ut impleretur puer Spiritu sancto, statim ab utero matris. Lucas igitur dicit, Spiritum inhabitantem in puero illo, cœpisse progressu ætatis, illustribus & vulgò inusitatis indicis, seu extraordinariis modis, magis magisque se exerere, ut cogitatio & expectatio illa hominum magis confirmaretur. Quis putas erit puer iste? De eremis verò, in quibus Johannes fuit, ante inchoationem ministerii, postea quædam annotabimus, in descriptione vitæ, & ministerii ipsius.

CAPUT VII.

CONTINENS HISTORIAM, DE ANGELO PATEFACIENTE JOSEPHO MYSTERIUM CONCEPTIONIS CHRISTI,

Matth. 1.

RATIO ORDINIS.

**M**ARIA ex montanis Juda, ex Zachariae ædibus digressa, reversa est Nazaretham, in suam domum. Nondum enim deducta erat in sponsi domum, & post illud tempus à Josepho & aliis deprehensa fuit gravida esse. Et Tamar quidem, Gen. 38. v. 24. post tres menses gravida deprehensa fuit: ut disputari possit, an statim post reditum Mariæ, ante nativitatem Baptistæ, hæc historia contingerit. Sed quia Elisabetam paulo antè, quinto demum mense ma-

nifestavit se esse gravidam, & Maria non eadem domo cum Josepho habitavit, ut non nisi ex manifestis signis intumescens uteri, Joseph tandem hoc cognoverit. Rectè ergo post nativitatem Baptistæ hæc historia collocatur. Ita enim finis primi capituli Matthæi, pulcherrimè cohæret cum principio secundi capituli Lucæ, de nativitate Christi: & ordo patefactionum de conceptione Christi 1. per Gabrielem. 2. per Mariam. 3. per Elisabetam. 4. per Zachariam. 5. per Josephum, hoc modo rectè cohæret.

HISTORIA DE ANGELO, PATEFACIENTE JOSEPHO MYSTERIUM CONCEPTIONIS CHRISTI,

Matth. 1.

18. Τὸ ἵ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις ἔτσις ἰω. Μηνσευδέσης ὁδὸ τῆς μητρός αὐτῆς Μαρίας τῷ Ἰωσήφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτῆς, εὐρεθῆναι ὑπὸ γαστρὶ ἐχούσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου.

18. JESU vero Christi natiuitas sic habet. Cùm mater enim ejus Maria desponsata esset Joseph, priusquam congressi fuissent, deprehensa est gravida à Spiritu sancto.

19. Ἰωσήφ

19. Ἰωσήφ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτῆν ὡς ἀδελφὴν μαρτυρῆσαι, ἐβλήθη λαθρα καταλύσαι αὐτήν.
20. Ταῦτα ἃ αὐτῆ ἐνδύμηθέντι, ἰδὼν, Ἄγγελος Κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ λέγων. Ἰωσήφ, υἱὸς Δαβὶδ μὴ φοβηθῆς ὡς ἀελαβεῖν Μαριάμ, τὴν γυναικά σου τὸ ὅτι ἐν αὐτῇ συνηθῆν, ἐκ Πνεύματος ἁγίου.
21. Τέξεται ἡ ἰὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῆ ἸΗΣΟΥΝ, ἅτις ὅτι σώσει τὸ λαὸν αὐτῆς ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν.
22. Τοῦτο ἡ ὄλον γέγονεν. ἵνα πληρωθῆ τὸ ῥῆθὲν Ἰσάου τοῦ Κυρίου, δια τοῦ προφήτου, λέγοντος.
23. Ἰδὼν, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἔξει, καὶ τέξεται ἰὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῆ Ἐμμανὴλ. ὅ ἐστι, μεθερμηνεύομενον, μετ' ἡμῶν ὁ Θεός.
24. Διεγερθεὶς ἡ ὁ Ἰωσήφ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος Κυρίου, καὶ παρέλαβε πάλιν γυναῖκα αὐτῆς.
25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτήν, ἕως ἃ ἔτεκε τὸν ἰὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτῆ ἸΗΣΟΥΝ.
19. Porro Ioseph maritus ejus, quoniam erat justus, & nolebat illam infamare, voluit clanculum ab ea divertere.
20. Hac autem cum is in animo versaret, ecce, angelus Domini in somnis visus est illi, dicens, Ioseph, fili David, ne metuas adjungere tibi Mariam uxorem tuam. Nam quod in illa conceptum est, à Spiritu sancto profectum est.
21. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Is enim salvum facies populum suum à peccatis suis.
22. Porro verum hoc factum est, ut perficeretur id quod dictum fuerat à Domino, per Prophetam, ita loquentem:
23. Ecce virgo erit pragnans, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emanuel: quod, si quis interpretetur, sonat, Nobiscum Deus.
24. Excitatus autem Ioseph à somno, fecit ut injungeret sibi angelus Domini, & adjunxit sibi uxorem suam.
25. Et non cognovit eam, donec peperisset filium suum primogenitum, & appellavit nomen ejus JESUM.

## Periocha Historia.

**D**Eebant extare certa & manifesta testimonia, Jesum non ex Josephi (cujus filius vulgò putabatur) semine, sed ex Spiritu sancto conceptum. Ideò Evangelista tam diligenter describit, Mariam ex signis externis gravidam inventam, priusquam in domum sponsi, ad congressum conjugalem, deduceretur. Ultrung; enim τὸ συνελθεῖν significare potest. Syrus verò habet, priusquam sociaretur. Erat enim sub lege consuetudo, ut non statim post desponsationem sequeretur concubitus, sed interposito certo aliquo tempore post desponsationem, sponsa solenniter assumebatur ad cohabitationem conjugalem, & ex patris aedibus in sponsi domum deducebatur: sicut colligitur Genes. 29. vers. 33. Deut. 20. vers. 7. Ne verò ex composito, quasi per collusionem, inter Mariam & Josephum, de conceptione ex Spiritu sancto, res agi videretur, Maria ipsa primùm non exposuit Josepho, quæ partim ex legatione Angeli, partim ex Elisabethæ colloquio cognoverat: Sed Josephus, post aliquot menses, ex aliis signis animadvertit ipsam esse gravidam, & ne tunc quidem ex ipsa aliquid sciscitatus est, sed [quia justus erat,] timebat (sicut ex verbis Angeli colligitur) eam, quam adulterium commisisse pudebat (fornicatio enim post desponsationem, quia sponsa jam uxor erat, adulterium reputabatur: Deut. 22. v. 24. Gen. 38. v. 24.) ad se recipere, & tamen nolebat etiam publicam contra ipsam repudii actionem instituere. Nam lege Deut. 22. v. 21. constitutum erat supplicium, quod toti familiarum ignominiosum & infame erat. Ducebatur enim talis adultera ad ostium domus paternæ, & ibi, in perpetuam familiarum ignominiam, lapidibus obruebatur. Quia igitur regia illa Davidis stirps, jam antea satis erat abjecta, & omnium respectui apud Nazarenos exposita, Mar. 6. v. 3. [noluit eam Ioseph ὡς ἀδελφὴν μαρτυρῆσαι.] Ponitur enim verbum ὡς ἀδελφὴν μαρτυρῆσαι pro ἐξαγορεύσθαι a-

put Ptolomæum, ἀποτελεσμάτων. Varinus interpretatur per φανερώσαι, quando occulta vitia per ora hominum traducuntur, Col. 2. v. 15. ita usurpatur, quando in triumphis captivi hostes, ignominia causa, spectandi per urbem traducebantur. Et Num. 25. v. 4. ac in Esther, in græca editione, de illis qui in patibulo ad solem suspendebantur dicitur. Ita Heb. 6. v. 6. jungitur crucifixioni: hoc est, de illis supplicis quæ cum infamiae ignominia & ignominia conjuncta erant dicitur. Et quando Deus aliquem, ut sterquilinum omnium ludibriis & contumeliis exponit græci reddiderunt, Ponam te, ἐς παράδειγμα, Jer. 8. v. 2. & 13. v. 22. Nahum. 3. v. 6. Et hæc significaciones omnes ad legem Deut. 22. v. 21. congruunt. Syrus habet verbum ὄντι quod significat æstimato seu taxato crimine diffamare, & publicam ignominiam notam inurere.

Quòd verò anxie disputatur, quomodo Joseph justus voluerit hoc dissimulare, cum justitiæ rigor potius flagitasset, ut quam putabat adulteram publice accusaret, juxta legem, Deut. 22. v. 21. facile hoc explicabitur. Lex enim illa non cogit sponsum talem instituere actionem: sicut lex Num. 5. v. 11. de zelotypia. Et justitia Ebraicis sæpè significat mansuetudinem, lenitatem, ἐπιεικείαν, de jure suo aliquid remittentem. Tandem ergo Joseph, pro sua mansuetudine, hoc consilium invenit, quia sponsam, quam ex adulterio gravidam putabat, bona conscientia assumere non poterat, nec publica actione divortium petere volebat, propter totius cognationis, quæ inde sequutura esset, infamiam, se velle occultè eam dimittere: quod fieri poterat, vel si solum verteret, ut putaretur Maria à sponso desertore imprægnata, vel si privatim, ea consentiente, daret libellum repudii, ubi non opus esset causam explicare, sed existimari posset imprægnatam fuisse à marito, priusquam repudiaretur. Et posteriorem sententiam verbum ἀπο-

λύσαι

λόγῳ videtur ostendere. Hæ cogitationes & sollicitudines Iosephi tam accuratè describuntur, ut manifesta extent testimonia, Mariam non ex Iosephi semine, sed ex Spritu sancto concepisse.

Dum verò Ioseph in hac anxia deliberatione tristes cogitationes animo versat, Angelus Domini, eo modo, sicut Num. 12, 6. & Hiob. 33, v. 15. describitur, per somnium ipsi apparet, & prima statim compellatione, vocans eum filium Davidis, commonefacit ipsum promissionis, quod ex sua cognatione nasciturus esset Messias: sicut Chrysoströmus rectè observavit. Et cum inquit: (*Ne timeas assumere Mariam,*) explicat, quid illa verba significant, (*Ioseph erat iustus,*) hoc est, timebat, ne contra legem peccaret, & offenderet, si illam, quam adulteram iudicabat, assumeret. Et quia sponsa statim à desponsatione uxor erat sponsi. Deut. 22, 24. sed postea certo tempore assumebatur, & certis ceremoniis accipiebatur, & in sponsi domum deducebatur, quod Matthæus voce *ἐγγαμβίωσεν* reddidit ex Deut. 20, v. 7. Dicit igitur Angelus, (*Ne timeas Mariam uxorem tuam,*) quæ priusquam tecum convenit, grvida deprehenditur, (*assumere: quòd enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est, &c.*)

Phrases autem observandæ sunt. Tribus enim distinctis vocabulis generatio, in hoc capite, alia atque alia significatione describitur, ut 1. liber *ὑπέσπεως*; 2. quatuordecim *ὑπέσπαι*; 3. *γεννησις* Christi. Verbum autem *ὑπόσπαισις*, dicitur non tantum de editione partus in lucem, (ut Matth. 2, v. 1. ubi Christus nasceretur. Item Heb. 11, v. 23. Moyses, cum natus esset, expositus est: & quando hæc tria conjunguntur, concipere, gravidam esse, & gignere, Isa. 7, v. 15. & Rom. 9, v. 11. Nondum natus Esau & Iacob,) verum etiam de fœtu, qui per conceptionem in utero materno generatur, & ex substantia matris formatur & alitur. Ita Job. 11, v. 3. & 14, v. 1. & 15, v. 7. homo vocatur *ὑπόσπαισις* mulieris, non tam inde quòd à muliere in hanc lucem editus, quam quòd in utero mulieris conceptus, ex substantia ejus generatus sit. Et Gal. 4, v. 29. Israel secundum carnem natus est, non de editione in lucem, sed de tota generatione intelligitur. Et quod ex antithesi propriè huc existimo convenire, Joh. 9, v. 34. Pharisei dicunt de cæco: totus in peccatis natus es. Sine dubio enim hac phrasi reddere voluerunt illud, Psal. 51, v. 7. In iniquitatibus formatus sum, & in peccatis calefecit me mater mea. Et in hoc ipso loco distinctè ponitur utrumque: (*Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, &c.*) Et Angelus differentia gratia dicit, (*Quod natum est in ea.*) De editione enim in lucem dicitur, natus ex ea. Et utrumque dicitur, natus in Maria, & natus ex Maria, Matth. 1, v. 20. & Gal. 4, v. 4. Quæ observanda sunt contra Valentinianos & Manichæos, qui fingebant: Christi carnem aliunde assumptam, & alibi generatam, in utero verò Mariæ tantum ut hospitem fuisse, per quam transierit sicut aqua per canalem. Ita verò nostræ carni summa illa spes & consolatio, quam habemus ex in carnatione filii Dei, tollitur. Ideò non oscitantur hæc prætereunda sunt. Quod in ea & ex ea natum est.

Illam etiam phrasin expendenda est, (*Ex Spiritu*

*Hærm. Tom. I.*

*sancto est*), non enim ita ex Spiritu sancto est, sicut Psal. 139, v. 5. Quo ibo à Spiritu tuo: tu enim formasti me. Et Rom. 11, v. 36. ex ipso sunt omnia. Et 1. Cor. 8, v. 6. Deus pater ex quo omnia: Sed cogitationibus Iosephi, qui putabat Mariam ex alio viro gravidam esse, opponitur hoc: (*Ex Spiritu sancto est.*) Nam usitata est phrasin, Gen. 38, v. 25. Ex viro, cujus hæc sunt, ego grvida sum. Iohan. 8, v. 41. Nos *ἐκ προέλευσεν* nati non sumus. Quia igitur sine viro, cœlesti & extraordinaria Spiritus sancti operatione, grvida facta erat Maria, & massa illa, quam filius Dei assumpsit, per Spiritum sanctum sanctificata, hoc est, à peccato mundata est, dicitur esse ex Spiritu sancto. Et hinc sumtus est articulus ille fidei: *Qui conceptus est è Spiritu sancto.*

De nomine vero IESU, de significatione & etymologia ejus postea in historia circumcissionis quædam annotabimus.

Et quod sequitur, (*Hoc totum factum est, ut impleretur, &c.*) potest ita intelligi, ut sint Evangelistæ verba. Chrysoströmus verò ita accipit, ut hac sententia Angelus orationem suam ex Scriptura probet: Ne scilicet miretur Ioseph Mariam virginem esse, & tamen gravidam esse, nec fortuito hoc fieri; sed hoc esse signum & miraculum illud dudum ab Esaia prædictum de conceptione Messia. Adeò ne angeli quidem suis verbis in articulis fidei credi volunt, sine Scripturæ testimoniis. Et de sententia illa Isaia quædam dicta sunt in historia conceptionis Christi.

De nomine igitur (*Immanuel*) quædam annotabimus. Et significationem nominis Immanuel Matthæus explicat, quòd sonet, (*Nobiscum Deus.*) Et dicitur quidem Deus nobiscum est, quando gratia & auxilio nobis adest: sicut fuit ita cum fidelibus in Veteri & in Novo Testamento: Sed quia peccata inter nos & Deum dividunt, Isa. 59, v. 2. & abalienant nos à Deo, Col. 1, v. 21. Ideò illa fidelium cum Deo conjunctio à Mediatore Christo pendet. Ille enim verè & propriè vocatur (*Immanuel*;) quia in eo divina natura nostræ humanæ naturæ personaliter unita, verbum caro factum, & Deus in carne manifestatus est, 1. Tim. 3, v. 16. Et illa hypostatica, individua, & archissima utriusque naturæ in Christo connexio facit Mediatorem, qui Deum hominibus & homines Deo conjungit. Non igitur aliena amplius nostra natura est à Deo, cum in ea in Christo Mediatore tota plenitudo divinitatis in habitat corporaliter. Ita per illum Deo adducimur, & habemus accessum ad Deum: & in illo Deum apprehendentes unum cum ipso efficitur.

Ita ergo nomen (*Immanuel*) propriè competit Christo, 1. Quia verus est Deus & homo; 2. Quia ipse nexus est conjunctionis nostræ cum Deo, ut nobiscum sit Deus. Quòd verò Iudæi cavillantur, Christum nostrum publicè aut vulgò non Immanuelem sed Jesum appellatum, facilis est responsio. Scriptura enim significatura aliquem talem futurum, & ab hominibus ita agnoscendum, solet dicere, vocabitur hoc nomine. Ita Isa. 9, 6. vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, & Jer. 23, 6. vocabitur Iehovah Iustitia nostra. Ita de Ecclesia dicitur Isa. 62, v. 4. Non amplius vocabitur derelicta, sed voluntas mea

H

in ea.

In ea. Christus igitur, quia jam ita prædicatur & creditur, quod sit Deus & homo Mediator, ideo verè habet nomen Immanuel.

Joseph igitur audito oraculo divino, statim cum evigilasset, dicto Angeli fuit obediens: (*Assumpsit enim Mariam,*) hoc est, deductam in domum suam, omni reliqua cura excepta consuetudine conjugali eam habuit uxorem. Matthæus enim verbo παραλαβῆν sine dubio respexit ad illud Deut. 20. 7. Si quis despondit uxorem, & nondum accepit eam, &c. Et licet quarto demum mense post conceptionem Mariam in domum suam assumeret, vulgò tamen ab omnibus putatus est esse pater Christi, sine ulla suspitione. Cæpit enim tunc, sicut hinc colligitur illa consuetudo, quòd post desponsationem, sponsa aliquandò, etiam antequam per solennes nuptias ad domum sponsi deduceretur, ab ipso cognoscebatur: & hoc vulgus in Maria & Joseph factum esse putabat. Matthæus verò hanc suspitionem Ecclesiæ filiis eximit, cum inquit: (*Præquam convenirent, inventa est gravida.*) Statuit enim differentiam inter σωηλθεῖν & παραλαβῆν.

Addit autem Evangelista: (*Non cognovit, donec peperit primogenitum suum.*) (Hactenus enim ex ipsius Josephi anxia & seria confessione demonstravit, Mariam non fuisse cognitam à sponso, cum conciperet Christum, sed priusquam conveniant, inventa est gravida à Spiritu sancto. Jam cum quarto mense eam in domum suam deducit, ita ut post nuptias simul habitent, dicit: ne tunc quidem cognovit eam, donec peperit; sed sicut virgo & à viro incognita concepit, ita & virgo à viro inviolata peperit. Joseph enim justus, ne in mentem quidem aut cogitationem tale quid admittere potuit, cum audiret, quod natum est in ea, à Spiritu sancto est: Item, ipse est Immanuel, (*qui salvabit populum suum &c.*)

Sed has sententias impius Helvidius impuro suo ore conspurcavit. Dixit enim: Si gravida inventa est, priusquam convenirent: Ergò postea congressi sunt. Item: Si non cognovit eam donec peperit: Ergò post partum cognovit eam. Et: Si Christus est primogenitus Mariæ: Ergò oportet ipsum habere plures fratres, ex eadem matre natos, inter quos sit ipse primogenitus. Et variæ quæsitæ sunt explicationes. Basilii sententia est: μεχρὶ γέννησιν τῆν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαίαν παρθενία, τὸ δὲ ἐφεξῆς ἀπολογη- πρᾶγμα ὄντων τῷ λόγῳ τῆ μυστηρίῳ. Auctor operis imperfecti in Matthæum, quod falsò Chryso- stomo tribuitur, ita explicat: non cognovit eam, scilicet pro matre filii Dei, donec in nativitate & postea ex miraculis hoc didicit. Hugo citat ex Evangelio Nazaræorum, in facie Mariæ, post conceptionem, tantam fuisse claritatem, ut Joseph non potuerit eam cognoscere, hoc est, rectis oculis aspicere. Et Hilarius hoc addit: Si Mo- sis faciem non potuerunt filii Israël ferre, quan- tò minus Joseph potuit faciem Mariæ cogno- scere, quæ Dominum gloriæ utero suo gerebat? Sed ex phrasi omnium rectissima sumitur ex- plicatio. Particulæ enim (*Præquam & donec*) ter- minum temporis aliquando ita significant, ut illud, quòd ante illum terminum temporis re- moveretur, postea factum fuisse intelligatur, ut

Genes. 19. v. 22. Non potero plene ignem su- per Sodomam, donec ingrediaris Segor. Levit. 12. v. 4. Erit immunda: donec impleantur dies purificationis ejus. Actor. 25, 16. Non est Ro- manis consuetudo tradere hominem ad suppli- cium, priusquam accusatores habeat præsen- tes, &c. Aut si dicam, non cœnabo, priusquam vel donec audita fuit sexta hora. Aliquandò ve- rò particula illæ terminum temporis ita descri- bunt, ut de præcedenti tempore de quo vel du- bium aliquod esse poterat, vel quod maximè scire intererat, expressè affirmant vel negent: unde quasi ex contrario sensu de tempore se- quenti consequentiæ texti nec possunt nec de- bent, hoc est, ita negat præteritum, ut non ponat futurum. Et Nazianz. Orat. 11. de filio 2. inquit: ἀχρὶ ἧ εὐς ἔ πάντως ἀντι διαρείται τῷ μέ- λοντι: ἀλλὰ τὸ μεχρὶ μὴ τὸ δὲ τίθησι, τὸ μετα τὸ δὲ ἐκ ἀνάιεται. Ut Gen. 8, 7. Non rediit corvus, donec siccata esset terra. 1. Reg. 15. v. 35. Non vidit Samuel ultra Saulem, usque ad diem mor- tis suæ. 2. Reg. 6. v. 23. Et Michol non habuit fi- lium, usque ad diem mortis suæ. Psal. 110. v. 1. Sede à dextris meis, donec ponam, &c. Item: Oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri. Vobiscum sum usque ad consummatio- nem seculi. Non enim inde inferendum est: Ergo post mortem peperit: Ergo post consum- mationem seculi Christus non erit nobiscum. Et quidem in vulgari etiam sermone figura hæc usitata est, ut si dicam: vale donec rediero: Priusquam legitimum processum institueret, hominem innocentem interfecit. Hieronymus hoc exemplum ponit: Helvidius, priusquam pœnitentiam ageret, morte præfocatus est. Neq; enim ea phrasis vult, quòd postea illa sint facta. Ex particulis igitur illis (*Præquam & Do- nec*) non potest colligi, Mariam post partum Mariæ cum Joseph congressam, & ex ipso fili- os sustulisse. Ufus est enim Evangelista illis par- ticulis, quia fidei nostræ plurimum intererat, scire, Mariam ante conceptionem Christi, & post conceptionem usque ad nativitatem ejus, non fuisse cognitam à viro. Quod si de tempore sequenti quaeritur, optima est Hieronymi responsio: Natum esse Deum per genitalia vir- ginis, credimus, quia legimus: Mariam post par- tum autem cum Joseph concubuisse, aut filios ex ipso sustulisse, non credimus, quia non legi- mus. Et bonum est argumentum Hieronymi: Si Joseph, ex sola relatione Angeli in somni, ta- li reverentia motus est, ut non cognosceret Ma- riam, donec pareret, quidni motus fuisset pos- tea, cum audiret pastores, Simeonem, Hannam tam divina de puero illo prædicantes? &c. cum quidem scriptum sit: Erant pater & mater ejus mirantes de his, quæ dicebantur de illo.

Hanc judico simplicissimam explicationem particularum (*Præquam & Donec*) de (*primoge- nito*) enim facilis est respon. Nam in lege, quan- do jubentur primogeniti offerri Domino, non est sensus, expectandum esse, donec post pri- mum nascatur alius: Sed primogenitus voca- tur, non tantum, post quem nati sunt alii, ve- rum etiam ante quem nullus natus est, etiam si sit unigenitus, hoc est, etsi postea nullos alios habeat fratres, tamen vocatur primogenit<sup>us</sup>. Et propter

propter quam rationem Christus, additione articuli, vocetur ὁ πρωτότοκος primogenitus ille, postea in historia purificationis explicandum erit: Quod verò Marc. 6, 3. numerantur quatuor fratres Christi, Hieronymus rectè respondit: Quatuor modis in Scriptura fratres dici, Natura, Gente, Cognatione, & Affectu: & in Evangelica historia Maria Alphæi & Cleophæ vocatur Jacobi & Iosès mater, ergò non ex Maria matre Domini nati sunt, & tamen vocantur fratres Domini, propter cognationem: sicut Loth & Abraham fratres sunt, Gen. 13, 8. De qua cognatione Christi, postea suo loco, plura dicemus.

A quarto igitur mense conceptionis Christi usque ad nativitatem ejus, ab Evangelistis nihil aliud annotatum est, quàm quòd Joseph Mariam assumptam secum habuerit, & excepto usu conjugali, curarit illam ut conjugem, ita, ut vulgus aliud etiam postea non intelligeret, quàm Josephum esse patrem Christi. Quia verò angelus ipsi meditandum proposuerat dictum Es. 7. v. 14. Non dubium igitur est, per quinque reliquos menses dulcissima fuisse colloquia inter Josephum & Mariam, de illis Prophetarum sententiis, quas ipsa ex annunciatione Gabrielis & ex colloquio cum Elifabeta didicerat.

CAPUT VIII.  
CONTINENS HISTORIAM NATIVITATIS CHRISTI, Luc. 2.  
RATIO ORDINIS.

**H**ANC esse veram ἀκολουθίαν hujus historia, tum inde patet, quòd apud omnes Evangelistas præter præmissas nulla alia historia invenitur, quæ huic præponi vel possit

vel debeat: tum verò ex Matthæo manifestum est: is enim post colloquium Angeli cum Josepho ostendit, ordine hæc consecuta: quæ, quomodo facta sint, Lucas exponit.

HISTORIA NATIVITATIS CHRISTI, Luc. 2.

1. Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δῆγμα τῷ Δαὶ Καίσαρι Ἀυγουστῆ, ἀπογράφεσθαι πάντων τῶν οἰκουμένων.
2. Ἄυτη ἡ δότογραφὴ περὶ τῆς ἐγένετο ἡγεμῆνον τῆς Συρίας Κυρηνεύου.
3. Καὶ ἐπορεύθησαν πάντες δότογραφεύσαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.
4. Ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσήφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρεθ, εἰς τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβὶδ ἧτις καλεῖται Βηθλεὲμ, (διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατρὸς Δαβὶδ.)
5. Ἀπογραφεύσαι οὖν Μαριάμ τῇ μεμνηστυμένη ἀπὸ γυναικὸς, ἕσθι ἐγκύου.
6. Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς, ἐκείνη ἐπέληθησαν αἱ ἡμέραι τῆς τεκεῖν αὐτῆς.
7. Καὶ ἔτεκε τὸ υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάσθη αὐτὸν, καὶ ἀνεκλίεν αὐτὸν ἐν τῇ Φάτνῃ, διότι οὐκ ἦν αἰσῆς τοπῆς ἐν τῷ καλύματι.
8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλασσόντες Φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τῶν ποιμένων αὐτῶν.
9. Καὶ ἰδοὺ, ἀγγελοῦ Κυρίου ἐπέση αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψε ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν.
10. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἀγγελὸς· Μὴ φοβείσθε ἰδὲ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἧτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ.
11. Ὅτι ἐτέθη ὑμῖν σημεῖον Σατῆρ, ὃς ἐστὶ Χριστὸς Κύριος ἐν πόλει Δαβὶδ.
12. Καὶ τὸ εἶδος ὑμῖν τὸ σημεῖον· Εὐρήσετε βρέφος ἐσπαργαμμένον, κείδον ἐν τῇ Φάτνῃ.
13. Καὶ ἐξαφῆς ἐγένετο οὖν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος στρατίας ἑβραίων, ἀγγέλων τῶν Θεοῦ, καὶ λεγόντων· Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας.

Harm. Tom. I.

1. Factum est autem in diebus illis, exiit decretum à Cesare Augusto, ut censeretur totus orbis.
2. Hæc descriptio prima facta est præside Syria Cyrenio.
3. Et ibant omnes, ut profiterentur in suam quisque civitatem.
4. Ascendit autem & Joseph à Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, qua vocatur Bethlehem, (eo quòd esset de domo & familia David.)
5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat pregnans.
6. Accidit autem, cum essent ibi, completi sunt dies pariendi.
7. Et peperit filium suum primogenitum, ac fasciis eum involoit, reclinavitque eum in præsepi: quòd non esset eis locus in diversorio.
8. Et pastores erant in regione eadem, vigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum.
9. Et ecce angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.
10. Et dixit illis Angelus: Ne timeatis: ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quòd futurum est toti populo.
11. Quia natus est vobis hodie Servator, qui est Christus Dominus in civitate David.
12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem fasciis involutum, positum in præsepi.
13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentium:
14. Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas.

H 2

I 5. Kap